esse, quam illud fuerat, quod Titus destruxerat in area Arnae, quae area illo tempore non templum, nec oratorium, sed vulgarium quorundam habitationes continebat, omni honore privata. Ad hoc ergo templum translata fuit sedes antistitis de Syon, et clerus et omnis curia ibi residebat. Sed et mirandum praedictum folio praecedenti ibi renovatum est de igne sacro paschali. Nam dum in solemni die in vigilia paschali omnia essent exstincta lumina per totum templum, clero populoque orantibus ecce subito fulgur de coelo cecidit et cereum paschalem et omnes candelas et lampades accendit. Hoc autem prodigium singulis annis in sabbato sancto paschae accidit in templo illo, et quamdiu apparuit, ecclesia illa ab inimicis fidei nullam injuriam tulit. Erat autem tunc consuetudo, ut omnis ignis per totam Jerosolymam adveniente sancto sabbatho exstingueretur, nec quisquam aliqua arte alium ignem accendere ausus fuit, nisi de templo ministratum. Unde omnis populus in templo et in domibus insistebat orationibus pro coelesti igne, quod pro rectissimo signo propitiationis habebant. Eo autem de coelo lapso omnes lumina accendebant et ad alias ecclesias longe lateque transmittebant, sicut nunc chrysma transmittitur, et ad domos etiam privatas portabant per totum annum nutrientes eum. Quod autem fuerit signum divinae clementiae, patet in (B) vitis patrum de quodam monacho facto probato, a quo multi virtutum exempla acceperunt. Qui acquiescens tentationi sub specie pietatis descendit in Aegyptum et incidit in fornicationem; ex ejus casu multi valde per Aegyptum scandalizati sunt graviter, Tandem autem ad eam reversus ad desertum festinavit et se ipsum ad arctissimam cellulam reclusit, ostium obstruxit, nec quemquam ad se ingredi permisit, sed die noctuque cum lacrymis precabatur Mariam, optime suam recognoscens miseriam. Cumque diutius se diversissime castigasset, appropinquante paschali festivitate spe magna de salute sua ex divina Maria consolatum se invenit, quod delictum ei esset remissum. Die autem paschae ipsa nocte resurrectionis tulit lampadem novam, et oleum ac lychnum imposuit, eamque in cacabum novum locavit et ligneo operculo texit, et se ad orationem devotissimam contulit, dicens: pater misericordiarum

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;